

DISPUTATIO THEOLOGICA
 P R I M A.
 D E
 PECCATO ORIGINIS.

Q V A M,

Favente Numine Trin-uno,

S V B P R A E S I D I O

Reverendi, Clarissimi, Doctissimi que Viri,

D. FRIDERICI SPANHEMII, S. S. Theol.
 Doct. ejusdemq; Facultatis in Illustr. Acad. Lugd-Bat.
 Professoris longè celeberrimi, Eccl. Gall.

Past. disertissimi,

Publicè defendendam suscipit

JOHANNES PROGVLBICKI, Samogita.

Ad diem 1. Aprilis horis locoque solitis.



LUGDVNI BATAVORVM,

Ex Officinâ BONAVENTURÆ & ABRAHAMI

ELSEVIR. Academ. Typograph.

clō lo c XLVIII.

Illustrissimo & Celsissimo Principi ac Domino,

D. JANUSSIO RADZIWIL,
Duci in Birze & Dubinki, Sacri Romani Imperii
Principi, Ducatus Samogitiæ Capitaneo Generali,
Exercituum M. D. Lithuaniae Imperatori Campe-
stri, Kazimirienſi, Kamieniecenſi, Mſciſlavienſi,
Byſtrzycenſi &c. Administratori; Eccleſiarum Or-
thodoxarum in M. D. Lith. & in Ducatu Ruſſiæ &
Samogitiæ Patrono, Nutritio & Promotori libera-
liſſimo, Domino meo Clementiſſimo, Mæcenati
munificentiſſimo.

Illustriſſime Princeps, Domine mi Clementiſſime;

Diverſi, ob varias rationes, exercitationes ſuis Mæcenatibus religioſè
inſcribere ſolent: at ego tuis beneficiis liberaliſſimè cumula-
tus, hoc exercitium Theologicum, humillimi clientis ad in-
ſtar, tanquam paululum aquæ offero, imitatus exemplum ſaga-
cis illius pictoris, qui velo obumbrat dicitur, quod penicillo
exæquare deſperabat; Nec enim mihi proſiſtitum eſt, evagari
licentius in immenſum beneficiorum tuorum campum, ne
peccem in publica commoda, quibus promovendis cogitatio-
nes tuæ conſecrantur. Simplex igitur votum, cum humili ſub-
miſſione mea, apud te, Heros Celiſſime, depono, Deo Opt.
Max. ſine intermiſſione nuncupans vota mea, ut Cel. T. mor-
taliſium cœtibus quam diutiſſimè intereſſe patiatur, idemque fa-
veat auguſtiſſimo muneri tuo, quo nuper gaudente Patria noſtra
ob merita Tua in Rempubl. nec non ob virtutes rariſſimas &
eminentiſſimas, quas mihi enumerare longum eſſet, optatiſſi-
mè auctus es, ejuſdemque muneris largiatur diuturnam &
feliciffimam poſſeſſionem. Dabam Lügduſi Batav. die xxvi.
Martii. Anno cło Io c XLVIII.

Illustr. Celiſtud. Tua Subjectiſſimus Alumnus.

JOHANNES PROGVLBICKI

Reſpond.



95256



9891

Ms 246766-10

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

PECCATO ORIGINIS.

T H E S I S I.



E peccato *originante* actum Disputatio-
ne superiore. Sequitur peccatum *origina-*
tum, quod partim *primum*, quod *origina-*
le vocamus, partim *ortum* à primo quod
actuale dici solet. Illud immediatè ex
originante oritur, istud mediatè.

II.

Peccati originalis ἐξερρασία revocari potest 1. Ad ὀνο-
ματολογία. 2. Ad πραγματολογία.

III.

Ὄνοματολογία peccati originalis considerari potest par-
tim ἐγγραφῶ, partim ἀγραφῶ. Ἐγγραφῶ est quod di-
catur *caro* Joh. 3. 6. *metonymiâ subjecti* pro *adjuncto*, & fa-
nè peccatum istud caro est *originaliter*, *objectivè* & *termi-*
nativè. Sic vocatur *peccatum ἐξόχως* & *antonomasticè* Rom.
6. 12. & cum appositione, *peccatum inhabitans* Rom. 7. 17.
ut aliquid *subjecti*, & quidem *inhærens*, & *inhærens* per
modum habitûs, & velut οἰκῆιον sive domesticum homi-
nis. Vocatur etiam κακὸν ἁδρακείμων, *malum adjacens*, di-
stinctum quippe à naturâ sive substantiâ, in cujus fundo
habitat, nec concreatum naturæ, sed naturæ velut adje-
ctum. Sic vocatur *vetus homo* Rom. 6. 6. non ἐσιωδῶς sed
ἐπαισιωδῶς h. e. ἡ παλαιὰ ἀνθρώπου, idque 1. *Originaliter* quia
est à veteri homine per primam generationem, 2. *Formali-*
ter ἀφαιρητικῶς, quia est aliquid & vile & ad corruptionem
tendens & antiquandum, contradistinctè τῷ πνεύματι νοστο,

A 2

quod

quod designat aliquid pretiosum & eximium, 3. Καὶ αὐ-
 λίσσον in ordine ad hominem novum, hoc est, ad imagi-
 nem novi Adami instaurandam in Dei filiis. Huc refer
 nomenclationes hominis ψυχῆς, σαρκῆς, Πνεύματος. Sic vo-
 catur *Lex in membris* Rom. 7. 23. h. e. aliquid instar legis
 ligans in membris, & per eorum usum se exerens, & im-
 pellens. Dicitur etiam *corpus peccati*. Rom. 6. 6. h. e. & com-
 pages & robur, cujus membra sunt peccata ex eo proman-
 nantia. Col. 3. 5. Sic vocatur ὁ ἕξω ἄνθρωπος *externus ho-*
mo oppositus *homini interno* 2 Cor. 4. 16. quia ille patet,
 iste latet, prout dicitur ὁ κρυπτός τῆ καρδίας ἄνθρωπος 1 Pet.
 3. 4. Sic 1 Cor. 5. 6. vocatur *fermentum vetus* partim ob
 analogiam cum fermento penetrante, subigente, & aco-
 rem conciliante toti massæ, partim ob consuetudinem
 Hebræorum qui per ψῆον *fermentum* intelligunt quicquid
 habet vim corrumpendi, prout verbū ψῆον *Rabbinis* signifi-
 cat *acidum reddidit, corrupit*. Et sanè omnis fermentatio
 vel corruptio quædam est, vel via ad corruptionem, prout
 & ipsum fermentum ex corruptione est. Hoc sensu *Plutar-*
chus in *Quæstionibus Romanis* ζύμωσιν dicit esse σήψιν
 quandam. Sic Hebr. 12. geminum peccati istius nomen
 habetur & vocatur 1. εὐπερίστατος ἀμαρτία, *active* v. 1. h. e.
 ἰσχυρῶς & ῥαδίως *valide & facile* circumdans, & velut inda-
 gine quædam cingens hominē. Sic *Varinus* εὐσημαίνε τὸ ἰσχυ-
 ρῶς. Et Græcis interdum εὐ idem est quod ἀκριβῶς. 2. ῥίζα
 πικρίας *radix amaritudinis*, v. 15. ῥίζα quidem, quia est ἀνω
 φύοσα, ut addit ibidem *Apostolus*, ἐπεξηγητικῶς, producit
 enim germina & fructus suos, nec otiosa est, ῥίζα vero π-
 κρίας, partim allusione ad Deut. 29. 18. partim quia He-
 bræis amarum dicitur quicquid malum est in genere. Sic
 conjunguntur interdum מרירות ופיקותא *malitia & amaritudo*.
 A *Jacobo* peccatum istud vocatur Πικρογυμία. cap. 1. 14. 15.
metonymiâ subjecti pro adjuncto, nec enim illa intelligitur
 vel

vel quâ *facultas*, vel quâ *habitus*, vel quâ *actus* simpliciter,
sed quâ ἀπαξίαν conjunctam habens sive ex parte *objecti*,
sive ex parte *modi*, sive ex parte *ordinis*.

IV.

Ἀρεσφα hujus peccati nomenclatio etiam multiplex
est. Ab Hebræis eo sensu quo ab illis concipitur, voca-
tur יצר הרע. A Patribus varia nomina habet v. g. à Tertul-
liano appellatur *mali tradux*, à Cypriano, *malum domesti-
cum*, ab Arnobio, *infirmittatis ingentia vitium*, ab Ambro-
sio *infusum & coagulatum delictorum contagium*: A Chryso-
stomo πρῶτη ἀμαρτία, ab Augustino *natura vitium*, item
peccati contagium ex origine, & tandem *peccatum originale*:
à Scholasticis *fomes & concupiscibilitas*. Ultimam *Augu-
stini* nomenclationem in Scholis receptam, & peccati
istius naturæ exprimendæ convenientem hîc retinemus,
modò intelligatur, id originale dici non ratione originis
primæ quam habuit homo à Deo creante, sed ratione ori-
ginis secundæ quam habet à primo parente peccante. Et
sanè meritò peccatum originale vocatur tum ratione
principii sui, quia est à peccato originante, tum ratione
modi propagandi, quia ab origine nobis inhæret. Et quam-
primum *originatur homo*, *originatur peccatum* istud in ho-
mine, ut habent barbarè sed significanter Scholæ, tum
ratione *effectuum* suorum, quia est origo peccatorum
actualium. Adde nullam nomenclationem convenien-
tiorẽ fuisse confutandis & *Manichæis* ex unâ parte, na-
turam ipsam quoad substantiam malam causantibus, &
Pelagianis ex alterâ, agnoscentibus quidem & mali tradu-
cem, & domesticum malum, & infusum contagium, &
primum peccatum, sed id vel restringendo ad Adami pec-
catum personale, vel referendo ad traductionem per imi-
tationem.

V.

Πραγματολογία de peccato isto complectimur ἐξηγήσας
duarum quæstionum 1. An sit. 2. Quid sit.

VI.

Ad quæstionem An sit, quod attinet, in *negativam* partem concessere jam olim 1. *Pelagiani*, Pelagium Britannum Magistrum suum sequuti, qui peccatum originis secundum omnes ejus partes negaverunt, tum quo ad actua- lem transgressionem mandati divini in Adamo, tum quo ad reatum ex eo contractum, tum quoad inhærentem naturæ corruptionem. Sic docuerunt, peccatum Adami nemini nocuisse nisi ipsi, & parvulos baptizatos non trahere originale peccatum, ut docet *Augustinus* in prologo Hypogn. contra Pelagianos & Cælestinos. Idem ostendit libro de Hæresibus cap. LXXXVIII. Nec sententiam mutasse censendus est Pelagius, eò quod in Synodo Palæstinâ factus fuit, peccatum Adæ posteris *nocuisse*, id enim aliter intellectum voluit, aliter intellexit: intellectum voluit (ut fraudem faceret, & lateret) quoad *propagationem*, intellexit verò quoad *exemplum* duntaxat & *imitationem*.

2. Pelagio succollant hodieque *Sociniani*, qui peccatum originis pertinaciter explodunt. *Volckelius* lib. 5. cap. 18. disertè impugnat sententiam Orthodoxam, crimen à primo parente conceptum in sobolem derivatum esse, & ejus contagione tum omnes humanas vires corruptas esse ac depravatas, tum potissimum voluntatis libertatem destructam. Quæ sanæ mentis rationi & divinæ Scripturæ contraria esse, nequicquam contendit.

3. *Anabaptista* eandem doctrinam suggillant, & peccatum originale *Augustini figmentum* vocant. Vide Colloquii Francothalensis Actio. II. Articulum 4. 4. *Pontificii* negativam quidem rejicere videntur, eas tamen de hoc peccato fovent opiniones, quæ re ipsâ peccatum istud evertunt, dum id quovis veniali minus

minus docent cum Scholæ suæ principe *Aquinate* & aliis ejus sectariis, adeoque non mereri mortem æternam, immò hoc pœnam tantùm esse volunt, non culpam ante liberum voluntatis assensum. Adde dogmata ὕψλα. 1. Concupiscentiam non esse peccatum *formaliter*, sed *originaliter* tantùm & *effectivè* sic dici, vel *terminativè*, quia fit à peccato, & ex eâ peccatum. Nec quicquam habere rationem peccati *formaliter*, nisi quod sit voluntarium. 2. Naturalia post lapsum mansisse integra, adeoque liberum in irrogenito etiam dari arbitrium in ordine ad bonum spirituale. Vide Bellarminum libro 1. de Amiff. Grat. cap. xii.

VII.

Affirmativa verò sententia seriò in Ecclesia Dei tenenda est, & fundatur tum in veritate *rei*, tum in veritate *enuntiationis* S. Scripturæ de re. Ex utroque principio isto invictè demonstrari potest, peccatum originale revera in quovis homine, ex Adamo naturali generationis serie prognato, dari. Ut ut enim termino isto *technologico* peccati originalis haudquaquam Scriptura hanc labem inhxrentem & habitualement designet ἀπολεξεί & κτ' τὸ ῥήμα, designat tamen nominibus aliis κτ' τὸ πρᾶγμα, quæ ἰσοδύναμα, qualia Thefi 3, expressa.

VIII.

Peccatum itaque originale à tot hostibus impetitur reverà dari, probatum damus 1. Argumentis quæ ἀτεχνα vel *inartificialia* dicuntur. 2. Argumentis quæ ἐντεχνα vel *artificialia* vocari possunt, deducta nimirum ex naturâ ipsius *subjecti*.

IX.

Argumenta ἀτεχνα sunt *testimonia* divina, quorum præcipua aliquot & enumeranda & vindicanda à corruptelis Adversariorū. 1. *Locus* exstat Gen. 5, 3. in quo Adam dicitur genuisse

genuisse filium *ad imaginem & similitudinem suam*, ubi *an-
tithefis* evidens inter productionem Adami & Sethi, inter
 imaginem Dei ad quam formatus Adamus, & inter ima-
 ginem Adami ad quam formatus Sethus. Ut itaque ima-
 go Dei designat *moraliter* tum sapientiam mentis, tum
 sanctitatem voluntatis Adami: Sic ex adverso, imago A-
 dami corrupti debet designare tum cœcitatē mentis,
 tum depravationem voluntatis, in quam se imaginem
 Adamus apostasiâ suâ à Deo transformavit. Adde, Ada-
 mi corrupti, quâ corrupti imaginem aliam dari non po-
 tuisse, præterquam corruptam.

X.

Exc. 1. Hæc verba intelligi posse de imagine *physicâ spe-
cifica*: Adamum nimirum hominem genuisse filium, ho-
 minem, ejusdem speciei creaturam. 2. Posse intelligi de
 imagine *physicâ individuali*, quod genuit filium sibi simi-
 lem figurâ, formâ, lineamentis externis. 3. Posse in-
 telligi de *immagine morali*, quam Adamus à Dei Spiritu re-
 genitus obtinuerat, h. e. de ejus sapientia & sanctitate. Se-
 thum itaque traducem & hæredem fuisse istius imaginis
 renovatæ, & hoc dici καὶ ἐν Φημισμῶν, non ἀκριβῶς. Nec
 enim negari posse Adamum generantem Sethum in Dei
 gratiam postliminio ante id tempus restitutum, habituali
 à Deo gratia donatum fuisse.

XI.

Sed *exceptiones* istæ nullius sunt commatis. Ad 1. Exc.
 Resp. Περί τῶ ἐν δεξιῇ, id θεοπεπῶς sic intelligi posse. An
 enim sapientiæ Dei conveniens, id ἀκριβῶς vel ἀκριβῶς
 tam emphaticâ phrasi, geminatâ voce, exprimere, quod
 & extra controversiam omnem erat positum, & homini
 commune est cum brutis animalibus omnibus? An du-
 bium erat, Adamum generantem ex lege in primogenia
 creatione à Deo constituta generasse filium ejusdem spe-
 ciei?

eiei? Adde, sic meram *πωπλογίαν* Spiritui S. affingi, eo ipso enim quia dicitur genuisse filiū, designatur satis identitas specifica filii cum patre. Quum itaque iste filius generatus, dicatur genitus ad imaginem generantis, per imaginem illam generantis debet diversum quid designari à specie generantis. *Inst.* Id ideo dici, quia ex Setho genus humanum erat propagandum, quod non factum nec ex Abele, nec ex Caino. *Resp.* 1. Hoc interpretamentum esse *παρείσταντον* non *ἐμφυτον*, verbis quippe adhibitis haudquaquam conforme. 2. Ex Caino diu genus humanum propagatum fuit, idem itaque de ipso dicendum fuisset. *Inst.* Si notaretur naturæ corruptio, idem dicendum fuisse de Caino & Abele, quippe qui etiam ad imaginem Adami fuere generati. *Resp.* 1. Per *συγχωρήσιν*, idem & verè quidem de iis potuisse dici. 2. Per *ἄρνησιν*, ideo id de Setho hoc sensu dictum non fuisse. Peccatur verò *Elencho non causa*, ideò enim id de Setho peculiariter expressum, non de Caino, quia existimari potuisset ex flagitiosa Caini vitâ, hunc characterem illi fuisse peculiarem: Nec de Abele, quippe qui posteritatem non reliquit, nec ex Dei decreto relinquere debuit, sed de Setho, quippe qui tradux debebat esse fœderis & promissionis, non obstante istâ prærogativâ, illum tamen ex se corruptum & cum imagine Adami ex Adamo corrupto natum fuisse. Idque eò magis necessarium erat, quod Sethi nativitas contigerit diu admodum post apostasiam Adami, cum jam esset centum & triginta annorum, ne videretur tractu temporis ista corruptio exstincta fuisse in Adamo, Deo diu differente istam propagationem seminis fidelis, explorandæ tum fidei tum patientiæ Adami. Ad 2. *Exc.* *Resp.* 1. Gratis supponi, non probari, Sethum retulisse vultum & lineamenta Adami. 2. Hoc tanti non fuisse, ut gemino nomine à Scriptura designaretur.

3. Ita $\alpha\lambda\beta$ & $\gamma\delta\epsilon$ intelligi debent, quemadmodum intelliguntur, quando Adamus ad Dei imaginem conditus dicitur. At ibi non designant imaginem externam & $\omega\epsilon\sigma\omega\pi\lambda\omega$, prout ineptum istud Anthropomorphitis placuit jam olim commentum. Ergo nec hîc. Ad 3. *Exc. Resp. 1.* $\Sigma\upsilon\gamma\chi\alpha\rho\eta\lambda\iota\kappa\acute{\omega}\varsigma$, Adamum fuisse participem gratiæ Dei tum *objectivè* tum *subjectivè* consideratæ, & $\chi\acute{\alpha}\rho\iota\varsigma$ & $\delta\alpha\rho\epsilon\acute{\alpha}\varsigma$ $\epsilon\kappa$ $\chi\acute{\alpha}\rho\iota\tau\omicron\varsigma$. 2. $\Lambda\epsilon\eta\lambda\iota\kappa\acute{\omega}\varsigma$, verba Scripturæ posse intelligi de imagine istâ *moraliká* $\epsilon\upsilon\Phi\eta\mu\iota\sigma\mu\acute{\omicron}\nu$, hoc est Adamum genuisse Sethum hæredem sapientiæ & sanctitatis suæ. Nec enim qualitates id genus naturæ dona sunt, sed gratiæ tantum, nec generatione physica communicantur, sed regeneratione mysticâ. Non magis quàm pulli non nascuntur phalerati ex equis phaleratis, vel frumentum sine palea & arista ex grano tali nascitur.

XII.

2. *Locus* exstat Gen. 6. 5. ubi *omne figmentum cogitationum cordis hominis dicitur tantum malum omnibus diebus*. Qui locus conferri debet cum loco Gen. 8. 21. ubi dicitur, *cogitatio cordis hominis mala esse à pueritia sua*. Ubi Scriptura designat 1. Corruptionem. 2. Corruptionem universalem. 3. Corruptionem & habitualement cordis, & actualement cogitationum ejus. 4. Corruptionem perpetuam. Adeoque & *principiata* vitiosa, & ipsum *principium* tale, idque universale & perpetuum, & eo ipso connatum.

XIII.

Exc. 1. Hæc dici tantum de primi mundi incolis malis, quorum ingenia fuerint $\eta\mu\epsilon\lambda\acute{\omega}\delta\eta$ & ferocia contra Deum ac proximum. 2. Non posse id sine summa contumelia referri ad semen pium, Noachū v.g. & pios ejus filios. 3. Sermonem duntaxat esse de peccatis actualibus primi mundi ante diluvium, quibus horrendum istud Dei iudicium sibi & Mundo ipsi attraxere. 4. Scripturam ostendere, Deo

Deo hoc velut novum & admirabile visum, cum homines
omni flagitiorum genere coopertos videret, dum dicit,
*Videns autem Dominus, quod multa malitia esset hominum in
terra & mala cogitatio cordis &c.* 5. Non dici hominum ge-
neri innatam esse malitiam, immò Deum per Noachum
admonuisse homines, ut ab eâ malitiâ desisterent, & quia
monita illa fuere aspernati, eos diluvio perdidisse. Mini-
tationes verò futuras fuisse temerarias, & pœnam inju-
stam, si id innatum fuisset hominibus, quum non fas sit ali-
quem supplicio afficere, qui ea non præstat, quæ præstari
ab illo minimè possunt, sed eum pœnas dare, qui cum ali-
quid exequi valeat, nolit tamen, justitiæ consentaneum
esse. Senlum ergò verborum Mosis esse, homines illos
non quidem suâ naturâ sed voluntariâ animorum indu-
ctione semper ad malè agendum propensos fuisse, ideo-
que propriâ suâ culpâ diluvii pœnam sibi accersivisse,
quam omninò vitassent, si perinde ut Noachus pie-
tatis studiosi fuissent, vel saltem ab eo moniti resipiscere
voluissent. 6. Gen. 8. 21. sermonem etiam esse de volun-
tariâ non de innatâ malitiâ, in quam homines non ab *in-*
fantiâ, sed ab *adolescentiâ* sponte suâ ruunt præcipites. 7.
Ibidem committi *fallaciam divisionis*, dividi componenda,
nec dici figmentum cordis hominis malum esse ab ado-
lescentiâ, nec enim in Hebræo verbum *est* expressum es-
se, & subintelligendū potius esse verbum *sit*, adeoque ver-
ba illa cum superioribus connectenda esse, & unam tan-
tum ex utrisque constitui sententiam, hoc pacto: Non
addam amplius maledicere terræ propter hominem, quia
figmentum cordis humani malum sit ab adolescentiâ, q. d.
etsi contingat ut progrediatur denuò eò hominum ma-
litiâ, quò ante progressa fuit, ut nimirum ab ipsâ adoles-
centiâ pessima quæque cogitare videantur, non tamen
illius causâ terræ maledicam, omnemque viventem ani-

mam ut nunc feci interimam : Aliàs statuendum esset, Deum eâ ipsâ re permotum fuisse ad eluisionem orbi terrarum non amplius immittendam, quâ paulò ante permotus fuerat ad eam immittendam, quæ sunt exceptiones *Volkeli* Socinianorum primipili lib. 5. de Rel. Christ. cap. 18. 8. *Hyperbolem* in verbis illis esse quæ plus dicat quàm sit in rei veritate, non quod omnes fuerint flagitiosi & nihil planè boni habuerint, sed quod maximâ ex parte corrupti fuerint.

XIV.

Sed nec ista tanti, ut vadimonium nobis sit deserendum. Ad 1. *Exc. Resp.* 1. *Συγχωρητικῶς*, per concessionem, hæc dici de primi mundi incolis, quod patet ex ἀλλήλῃς verborum, quia versu antecedente Spiritus S. meminit peccati istorum hominum, & Deus dicitur vidisse istorum hominum malitiam exercitam in terrâ 2. *Ἀρνητικῶς*, per negationem, hæc dici de illis tantùm, vel *exclusive* in ordine ad alios homines & naturalem eorum constitutionem. Immo *hypothesis* illa transferenda ad *thesin*, & idem de aliis inferendum, quia eandem omninò naturam omnes in *statu destituto* habent in se, sine *gratia* vel *coërcente* vel *convertente*. Rationes istius applicationis universalis meritò instituendæ, habentur in ipso textu. 1. Notatur *universalitas actûs*, nimirum *omne figmentum*. 2. *Universalitas actûs* in omni actu, est tantùm malum. 3. *Universalitas subjecti*, licet indefinitè propositi, nec enim dicitur restrictè: *Et vidit Dominus quod multa esset malitia hominum istorum*, sed absolute sermo de homine, & οὐρανὸν supponit pro ipsâ specie & naturâ hominis. 4. *Universalitas temporis* adjicitur, *omnibus diebus*. Adde idem repeti Gen. 8. 21. jam extinctis istis primi mundi incolis impiis, nec in *hypothesi*, sed in *thesi* proponi; *Cogitatio cordis hominis mala est a pueritiâ suâ*.

XV.

Ad 2. *Exc. Resp. 1.* Συγχαρηλικῶς, non posse verba illa quoad *actus externos* flagitiosos, ad Noachum & pios ejus filios referri. 2. Αρηλικῶς, non posse & què referri ad Noachum & filios ejus, quoad *corruptionem internam* naturâ in singulis hærentem, quæ prorupisset in illis in actus similes externos, nisi accessisset vis Dei vorticordia, & nisi illi ex *statu destituto* fuissent translati in *statum restitutum* singulari Dei gratiâ. Peccatur itaque *ignoratione Elenchi*, quæstio enim est de statu naturali & habituali hominis corrupti, non de statu adventitio hominis instaurati, in quo quamvis maneat corruptio interna, coercita tamen & velut refracta per gratiam pristino exiit dominio.

XVI.

Ad 3. *Exc. Resp. 1.* Συγχαρηλικῶς, sermonem esse de peccatis actualibus. 2. Αρηλικῶς, de iis tantum esse sermonem, vel *exclusivè*. Distinguitur verò malitia *externa* & *actualis*, & figmentum cogitationum cordis *internum* ac *habituale*. Alioquin enim 1. Mera esset *πυρολογία*, & idem sine causâ repeteretur, quæ tamen distincta voluit Spiritus S. Et verba *כל וכל* & *omne figmentum ac cogitationes cordis ejus*, necessariò debent diversi quid designare à malitiâ illâ visâ à Deo. 2. Adde *continuitatem* & *perpetuitatem* melius efferri de habitu quàm de actu. 3. Necessariò *habitualis* etiam malitia naturæ ipsi inhærens intelligenda est, quia *actualis* malitiæ nondum poterant esse rei infantes diluvio sublati. Vel itaque injustè diluvium à Deo illis etiam immissum, & illi eo sublati, vel justè. Si prius, in infantibus etiam reperta fuit culpa, & gravis quidem, quæ cum *actualis* esse non potuerit, *habitualis* necessariò fuit, & cum *acquisita* esse non posset, *naturalis* esse debuit. Si posterior, sequitur & *pœnam* illam gravissimam *injustam* fuisse, & ab *injusto* Iudice *inflictam*, quod blasphemum.

XVII.

Ad 4. Exc. Resp. 1. Τὸ ἐν δεξιῇ supponi ab omniscientiæ divinæ suggillatore, sive in *Thesi*, Deo quicquam *novum* videri, quippe qui omnia præsentia habet ab æterno, & cui τὰ μέλλοντα vel τὰ ἐσόμενα nobis, semper sunt præsentia, quippe quæ in se & Decreto suo vel *efficiente* vel *permittente* & *dirigente* ab æterno videt. Sive in *hypothesi*, istam malitiam Deo novam visam, cujus tot funesti effectus inde à peccato ab Adamo admissio in plerisque exstabant mortalibus, coerciti & repressi suâ gratiâ in paucis. 2. Absurdum, immò parum pium, Deo aliquid *admirabile* videri, termino propriè sumpto. Admirationis origo vel ab *ignorantia* causarum est, vel à *fortuito* rerum *occurso*, quorum neutrum in Deo sapientissimo omnium directore, adeoque & omnium præscio, locum habere potest. 3. Peccatur etiam *Elencho* τὸ ἐπὶ πᾶσι. Deus dicitur vidisse, quod multa exstet hominum malitia in terra &c. Ergo dicitur id vidisse ut novum quid & admirabile. At *res* tantùm indicatur, *modus* iste haudquaquam.

XVIII.

Ad 5. Exc. Resp. 1. Συγχωρητικῶς, id non dici ἀπολεξεί vel τὸ θεῆμα. 2. Ἀρνητικῶς, id non dici καὶ ἰσθμιονίαν vel τὸ πᾶγμα, id enim potissimum designatur quod commune erat omnibus primi mundi incolis, quod sanè non erat *actnalis* malitia, nec enim ista in omnibus erat eadem, sed *habitualis* potius, eaque non *acquisita*, sed *innata*, quippe quâ involvebantur ipsi infantes, eodem cataclysmo cum parentibus sublati, in quibus sanè *actnalis* malitia se exercere non potuit. 3. Peccatur *Elencho* τὸ ἐπὶ μέντοι, Deus hortatus fuit homines istius ævi, ut à malitiâ desisterent. Ergo non datur malitia innata. Quasi verò hortationibus illis per Noachum institutis sufficiens fundamentum datum non fuerit in *actnali* hominum istorum malitia, quam-

vis

vis procedente ex habituali & innatâ? 4. An etiam Noachus homines istos hortari non potuit, ut edomarent habituale istud vitium, nec ejus motionibus vitiosis indulgerent? Annon id omnium officium? Annon regnum isti vitio innato adimi potest per hortationes externas conjunctas cum interna vi Spiritûs per eas agentis, ut sint non *imperativæ* duntaxat *officii*, sed etiam *operativæ obsequii*? *Inst.* Ergo hortationes illæ frustranæ & temerariæ respectu illorum, in quibus Deo vim Spiritûs exerere non placuit. *Resp.* 1. Peccari *elencho à dicto secundum quid*, & *ὡσαύτὸ ἐπὶ μὲνον*, nec enim simpliciter frustraneum, minus temerarium, quod aliquem finem vel effectum non habet, sed quod nullum planè habet. Habuère verò hortationes istæ vim *convictivam*, quamvis non *conversivam*, & sufficiebant ad inexcusabilitatem *ἀποκαταχρησίας*, & *ἀναπλογίας* 2. Adde hortationes esse notas *officii*, non *virium*, nec illæ temerariæ sunt, vel injustæ, vel frustranæ, etiam respectu illorum, qui haudquaquam vires habent ad eâ præstanda quæ imperantur, modò ista *ἀδυναμία* sit *Ἰπισπασή* & suo jumento à peccatore accersita. Talis verò est ista pravitas. An ab homine *ἀσώτῳ*, *ἀκολάστῳ*, nepote, toto immerso crapulæ non potest exigi sobrietas quamvis ille à se impetrare non possit ut sit sobrius? An debitor decem millium talentorum non poterat justè urgeri ab eo cui obæratu erat? *Inst.* Ineptè homini præcipi, ne sit claudus vel cæcus, si naturâ talis sit? *Resp.* Peccari *elencho parium*, & *ὡσαύτὸ ἐπὶ μὲνον*, cum luxatio tibiæ vel privatio visus *ἀτυχήματα* sint, non *ἀδικήματα*, nec recta crurum vel oculorum dispositio, *officium*, sed *status*, nec bonum *ethicum*, sed *physicum*, ista verò non cadunt sub imperium, vel hortationem, sed illa duntaxat. 4. Peccatur etiam *elencho ὡσαύτὸ ἐπὶ μὲνον*. Deus monita illa aspernatos perdidit. Ergo malitia illa à quâ dehortatus eos fuit per Noachum, nullo modo

modò fuit naturalis? Quasi verò obnativam corruptio-
 nem & solam quidem nemo justè à Deo excindi possit.
 Quì itaque excisi infantes innumeri cum parentibus suis
 & cataclysmo isto suffocati? *Actualis* utique in illis malitia
 non erat, nec *externa, sed interna* tantùm & velut *habitua-*
lis. Vel enim denuò supplicium istud injustè illis inflictum
 fuit, vel justè; si *prius*, iudex mundi summa cum blasphem-
 iâ injustitiæ arguitur. Si *posterius*, culpa fuit in infanti-
 bus, quippe sine quâ pœnæ locus esse jure non potest. Quñ
 itaque actualis culpæ rei non fuerint, fuerunt rei habitua-
 lis, nec acquisitæ sed innatæ. Adde exemplum de infanti-
 bus Sodomitarum, & Gomorrhæorum, eodem igne cœ-
 lesti cum parentibus suis absumptis. Quì pœna illa justa
 esse potuit respectu infantum illorum sine culpa? Et quæ
 culpa actualis in illis dari potuit, quæ acquisita? Quod ar-
 gumentum eò validius est, quod Judas v. 7. profiteatur
 in genere, Sodomam & Gomorrhæam, & urbes illis vicinas
 ἵνα ἔχθρην πρὸς αἰῶνός σου ἴδω *sustinere pœnas aeterni ignis.* 5. Peti-
 tur τὸ ἐν δέχθῃ, fas non esse aliquem supplicio afficere qui
 ea non præstat, quæ præstari ab illo minimè possunt. An-
 non sic tollitur justa infantum illorum destructio? An-
 non sic suggillatur ipsorum dæmonum condemnatio? An
 enim dæmones obsequium Deo exhibere possunt, post-
 quam apostasiâ suâ se à Deo suo avertère? Annon incorri-
 gibiliter illi mali sunt, & Dei a hominum hostes? Præter-
 quam quod idem urgeri potest de hominibus irrogenitis
 quâ talibus, quippe qui & mente cœci sunt, & voluntate
 perversi, & affectibus rebelles, immò mortui in peccatis,
 adeoque sine viribus ullis bonum spirituale præstandi,
 qui ut ψυχικὸὶ & σαρκικὸὶ ne cogitare quidem possunt ali-
 quid ex se boni, nec magis actum spiritualem agere quàm
 mortuus actum vitalem. An ob id Deus injustè tales ple-
 dit? An Deo perit jus suum ob ἀδωραμίαν hominis, quum

ne creditori quidem suum pereat jus in nepotem bonorū
suorum decoctorem? 6. Adde peccari *Flencho oppositorum*,
nec enim impotentia illa, vel malitia *naturalis* opponenda
voluntaria ad naturalem inclinationi, sed componenda
cum eâ. Ut enim impii illi primi seculi homines naturâ
habuêre malitiam sibi innatam, sic voluntariè planè illam
exeruêre, & dum peccavêre, id fecêre, quod maximè fa-
cere voluêre. Immò quò magis homines sunt naturâ cor-
rupti, eò majori pronitate & lubentiâ peccant, dum pec-
cant; ut quò magis naturâ Mephibosetus claudus erat, eò
magis claudicabat. Nec enim per naturalis malitiæ exer-
citiū intelligimus motum naturalem carentem libertate
contradictionis sive *exercitii*, vel *specificationis* sive *contrarietatis*
oppositum vel cognitioni & iudicio de hoc vel illo ob-
jecto, vel *ῥοπή* spontaneæ voluntatis in illud, qualis motus
datur in agentibus ex necessitate naturæ brutæ, sed intel-
ligimus naturam exerentē se cum *ωγαπίος* & *ἐκείνῳ*. Primi
itaque homines illi & naturâ suâ & voluntariâ animorum
inductione semper ad malè agendū proni fuerunt. 7. *Ἐξα-
γώνιον* etiam, tales propriâ suâ culpâ sibi diluvii pœnâ accer-
sivisse, actuali nimirum, ab ipsis personaliter patrata, sed ob
id non tollenda innata, verū supponenda, ex qua profue-
bat actualis. 8. *Ἐξαγώνιον* etiam, illos vitaturos fuisse pœnam
diluvii, si perinde ut Noachus pietatis fuissent studiosi, vel
saltem ab eo malo resipiscere voluissent. Connexio enim
illa interpretatem vel resipiscenciam & vitam datur. Haud-
quaquã verò sequitur, illos non habuisse malitiam innatâ,
quæ obstabat, ne pietatis essent studiosi vel resipiscerent,
vel potuisse eos ista præstare sine gratiâ convertente, vel
sine dono gratiæ quale indultū erat Noacho. Sic connexio-
nes id genus hypotheticæ dantur: Si Israëlita legem ser-
vassent, vitam habuissent per legem. Si Paulus vel ange-
lus è cœlo annuntiaret aliud Evangelium, futurum ut ana-

audia

C

thema



95256

thema esset. An ob id inferendum vel Israëllem potuisse legem servare καὶ τὸ ἀκριβοδιναιον, prout in fœdere legali servanda erat, vel Paulum aut Angelum è cœlo in bono confirmatum aliud Euangelium annuntiare posse?

XIX.

Ad 6. Exc. Resp. 1. Συγχωρητικῶς, sermonem esse de voluntariâ malitiâ. 2. Ἀρνητικῶς, sermonem tantum esse de illâ, non simul de innatâ. 3. Peccatur *Elencho oppositorum*, quasi voluntaria & innata malitia in se arietarent mutuò. Immo ista voluntas sponte peccandi homini, in *statu destituto*, innata est. Et eadem malitia καὶ ἄλλο καὶ ἄλλο & innata vocari potest, & voluntaria. 4. Immo καὶ τὸ βίαιον, si *figmentum cordis* humani malum est, & omne quidem, & tantum, & omnibus diebus, ut patet ex capite 6. corrupta ejusmodi principiata arguunt necessariò à posteriori corrupta principia. Si enim figmentum omne actuale cordis tantum malum est, cor humanum ipsum non potest non esse velut *habitualiter* malum. 5. Peccatur *παρρησιαστικῶς* phraeos, כַּחֲרֵם, quasi verò כַּחֲרֵם *adolescenciam* tantum designet, non *pueritiam* etiam & *infanciam*. At annon cor malum erat in ipsis primi istius Mundi infantibus? 1. Si enim tale non erat, illi diluvio haudquaquam erant excindendi. Unde כַּחֲרֵם à lxx. non tantum redditur per νεανίσκον, νεανίαν, παιδάριον, sed etiam per νήμον *indefinitè* Prov. 23. 13. & Os. xi. 2. Sic *plurale* כַּחֲרֵם non tantum illis est νεότης, sed etiam ἡλικίας dies *nativitatis* Ezech. 4. 14. Et *singulare* כַּחֲרֵם vertitur per νηπιότης. Ezech. 16. v. 22. Et Os. 11. 15. 3. Adde, si figmentum istud tale sit כַּחֲרֵם *omnibus diebus*. Ergo & tale est in ipsis *infancie* & *puericie* diebus, velut *habitualiter*, non *actualiter*, vel in actu primo, etsi nondum in actu secundo. 4. Adde, ne *infanciam* quidem, ne dum *pueritiam* excusari posse ab istâ malitiâ, quum instar Davidis omnes in iniquitate concipiuntur, adeoque illa inde à *conceptione* omnibus

nibus inhæreat. Psal. 21. 7. Immo, ut benè observant Hebræorum filii, infans appositè admodum vocatur נער, quippe qui se movet vel movetur in utero etiam matris ad exitum quærendum. Complectitur ergò totam ætatem teneram, non partem ejus secundam vel tertiam tantùm. Eadem est significatio abstracti נערוֹת & נערוֹת. Sic *Targum* hîc habet מְעוּרָהוּ quasi à parvitate ejus, h. e. à primo usque suæ productionis principio, ab ætate quasi diminuta & minorenni, quæcumque illa sit. Parum feliciter itaque *Volckelius* hîc grammaticam pulpam tangit. Adde, Deum loqui de toto genere humano, adeoque de aliquo quod commune omnibus, non verò quod peculiare aliquibus. Malitia verò à pueritia vel adolescentia actualis diversimodè se exerere solet, habitualis verò eadem est. Nec oscitanter observandum, hæc verba Gen. 8. 21. reperita esse, Noacho solo cum filiis existente, à quo saltem abfuit malitia voluntaria actualis, quamvis daretur habitualis & innata. Et hæctenus de illo etiam verba illa vera erant, ratione corruptionis naturalis, quæ adhuc hærebat in ipso.

XX.

Ad 7. *Exc. Resp. 1.* Συγχωρητικῶς, demus, hanc esse mentem *Mosis* & exponenda esse verba illo sensu, quæ nectit *Volckelius*, & τὸ sit esse sub intelligendum, q. d. Deus, etsi contingat ut progrediatur denuò eo usq; malitia, quo antea progressa fuit, ut nim. ab ipsâ adolescentiâ homines pessima quæq; cogitent & moliantur, non tamen illius causâ terræ maledicam, an ob id sequeretur id *exclusivè*, dici, & non *inclusivè*? Immo, annon pessimi actus ut principiata præsupponunt principia ejusdè naturæ & ordinis? Immo à *posteriori* argumentum duci potest ad prius, quia Deus non vult amplius diluvio orbem terrarum involvere, quamvis homines mali sint: Ergo malitiam illis vidit innatam & hæreditariam.

2. Αἰρητικῶς, hunc esse sensum verborū *Mosis*, quasi de progressu

gressu tantum malitiæ ab adolēſcentia loqueretur. Con-
 trarium ostensum theſi antecedente, tū ex vi vocum וַיַּבְרֵךְ
 tum ex collatione hujus loci cum loco Gen. V I. & lon-
 gè convenientius verbum *κατακλινόν* præſentis temporis
 ſuppletur, prout ſuppletur ab interpretibus. 3. Adde co-
 dem rem recidere, *τὸ ſit* etiam ſubintellecto, q. d. Deus,
 quamvis figmentū cordis humani malum ſit inde à primâ
 ejus ætate, tamen non exſcindam amplius terram diluvio.
 4. Peccatur *elencho* *ὡς δὲ τὸ ἐπὶ ἄλλοις & παρεπιλήτεια* loci,
 nec enim ſequitur absurdum quod ſententiæ noſtræ im-
 pingit *Volckelius*: Deum nimirum eâ ipſâ re permotum fuiſ-
 ſe ad eluvionem orbi terrarum non amplius immitten-
 dam, quâ paulò ante permotus fuit ad eam immitten-
 dam, nec enim *τὸ ἢ* hîc intelligendum in ſenſu *cauſali*, ſed
adverſativo potius, q. d. quamvis figmentum cordis huma-
 ni malum ſit inde ab utero, tamen non addam percutere
 omne vivens, non quod cauſa proponatur non percuf-
 ſionis terræ, ſed ut indicaretur, etiam cauſâ iſtius percuf-
 ſionis datâ, Deum tamen ſingulari tolerantia uſurum er-
 ga homines corruptos, in differendis eorum pœnis, in ſu-
 ſpenſione ſaltem pœnæ talis, qualem immiferat orbi ter-
 rarum. Hæc verba itaque non ſunt *αἰθαλινα*, ſed *ἐπαγγελ-
 ῖνα*. 5. Immò ſi in ſenſu *cauſali* etiam vellemus exponere
 verba Moſis, interpretatio noſtra longè melior eſſet in-
 terpretatione *Volckelianâ*, longè enim tolerabilius dici
 poſſet, Deum miſericordia uti erga mundum ob inoſtatam
 ei malitiam in quâ naſcuntur omnes, quàm ob malitiam
 actualem & voluntariè in ſepatratam. Major enim miſe-
 ricordiæ locus erga naturaliter miſeros, quàm erga illos
 qui flagitiis actualibus miſeriam ſibi malitioſè attraxêre.

X X.

Ad 8. Exc. Reſp. I. Συγχωρητικῶς, *per conſeſſionem*, dari
 quaſdam in Scripturâ S. *hyberbolas*: Nec illorum ſenten-
 tiam

tiam universaliter veram esse, qui censent omnem hyper-
 bolam rei veritatem excedere, & speciem habere men-
 dacii. Oppositum enim patet ex locis evidentissimis, v. g.
 Gen. 13. 16. Faciam semen tuum sicut pulverem terræ, sicut
 arenam maris. Exod. 3. 8. Dabo vobis terram fluentem
 lacte & melle. Vidimus civitates pertingentes usque ad
 cœlos, & eramus sicut locustæ coram iis. Num. 1. 3. 34. Sic
 Deut. 9. 1. Dicuntur civitates quædam in cœlum usq; mu-
 nitæ. Jud. 7. 12. Cameli innumerabiles dicuntur, sicut
 arena quæ jacet in littore maris 1. Reg. 10. 27. dicitur Rex
 reddidisse argentum Hierosolymis ut lapides, Cedros ut sy-
 comoros. Sic 2. Sam. 1. 23. Saul & Jonathas dicuntur à Da-
 vide aquilis velociorès, leonibus fortiores. Sic Psal. 107.
 26. navigantes dicuntur ascendere usque ad cœlos & de-
 scendere usque ad abyssos. Sic Matth. 19. 28. facilius esse
 camelum intrare per foramen acus, quàm divitem in re-
 gnum cœlorum. Sic Joh. 12. 19. dicitur, mundum post
 Christum ire, & cap. 21. 25. dicitur ipsum mundum capere
 non posse libros scribendos de gestis Christi. Nec in Scrip-
 tura tantum reperitur illa ὑπερβολῆς species quæ proprie
 sic dicitur, & αἰζηλική vocatur à Rhetoribus, sed & μετὰ-
 κή. Haudquaquam itaque statuendum, semper inter se
 opponi, ὑπερβολικῶς loqui, & verè loqui. Hyperbolicarum
 enim loquutionum spectandum *formale* potius quàm *mate-
 riale*, non *sonus* dictorū sed *sensus* dicentis, nec dicta vexan-
 da ad literam, sed scopus inquirendus & finis dicentis. Et
 sanè quum ὑπερβολαὶ ad tropos vel χήματα pertineant, non
 proprie & ad literam exponi debent, nec magis in illis est
 mendacium, quàm quando metaphoræ vel tropi alii adhi-
 bētur, & Herodes vocatur vulpes, Pharisei progenies vipe-
 rarum, & alia id genus; Meritò itaq; *Augustinus* inquit, nullū,
 qui *Scripturam didicit, ambigere, Scripturam uti solere eā locu-
 tione, quam Græci dicunt hyperbolam, ut cæteris tropis.* c. 2. lib.

16. de civit. Dei. 2. Ἀρνητικῶς, per negationem in verbis quæ
Moses vel Gen. 6. vel Gen. 8. de corruptione originali &
universali hominum habet, ullam reperiri hyperbolē. Illi
enim tum demum locus est in sacris, ubi verba ad litteram
accepta, vel rationi, vel sensui, vel certæ & confirmatæ ex-
perientiæ, vel locis aliis parallelis repugnāt. Tantum verò
abest, ut verba de universali ista cordis humani ex se & se-
cundum se corruptione innatâ repugnent principiis istis,
ut ab iis confirmentur potius. Idem sanè diserte testatur
Scriptura Job. 14. 4. Psal. 14. 2. 3. Psal. 51. 7. Rom. 5. 14.
Eph. 2. 5. Et locis plurimis aliis. Idem etiam patet ex
scopo Spiritus S. Gen. 6. qui fuit designare originem &
principium corruptionis istius actualis hominum, eorum-
que impœnitentiæ. Hyperbolam itaque hîc quærere vel
statuere, est πηλαγαυίζειν, & pulvillos substernere superbiæ
humanæ.

Argumenta reliqua, partim *inartificialia* testimonii,
partim *artificialia* rationis moles Disputationis nos hîc ad-
dere vetat, ob operosiores, quas exigunt, vindicias à cor-
ruptelis Adversariorum.

I.

Iustificatioⁿis doctrina pervertitur in Ecclesia Romana, & male confunditur cum sanctificatione.

II.

Nullum datur sacrificium ἱλαστικὸν, præterquam Christi in cruce.

III.

Vota Monastica nullum habent fundamentum in Scriptura.

IV.

Sociniani evertunt doctrinam de persona & officio Christi.

V.

Gratia conversiva nec indifferens est, nec determinatur, sed determinat.

VI.

Naturalis Dei revelatio nec immediatè sufficiens dici debet, ad salutem, nec mediatè.

VII. Na-

Donorum gratie largitio non pendet à bono usu donorum natura.

VIII.

Communicatio proprietatum diuinarum in ordine ad naturam humanam ἀγαθος est & ἄλογος.

FINIS.



IV.

Natura D. participatio nec immediate sufficiens
hinc habet ad naturam immediate.

VII. 2ca.

